

PRIMA CATECHISMI

PARS DE DECEM PRÆCEPTIS

VEL DECALOGO.

Agitur autem hîc primùm.

DE LEGE IN GENERE.

1. De Definitione legis. Illa vero:

Proponitur & est talis: Lex Dei est aeterna & immota sapientia, & Regula iustitiæ in Deo, &c. Philip. Melanth. in locis communib. Vel: Lex est Doctrina ab ipso Deo tradita, præcipiens quæ recta sunt & prohibens mala, cum remuneratione boni, si obedimus, vel comminatione pœna, si inobedientes sumus. &c. Walth. Resolvitur, ita ut præcipuè in ea sint observanda & consideranda quatuor. &c. Idem.

Membra hic tractanda quinque:

2. De promulgatione legis historica, per circumstantias 4:

1. Quis auctor, nimirum Deus ipse vel filius Dei. Hic notanda veniunt 3:

1. Probatio eius, quæ facile desumi & institui potest ex 20. & 34. cap. Exod. Item. 1. Cor. 10. De Filio Dei, dicitur enim Petra, sequens Israelitas in deserto. &c. Brent. Menc.

2. Responso ad obiectiones duas:

1. Ex 2. cap. Hebr. ubi legitur, sermonem legis per Angelos esse. Bz. Hunn. Et S. Stephanus declarat in Actis cap. 7. inquit: Durch Gescheffte der Engel.

2. Ex dicto, Ioh. 1: Lex per Moſen. &c. Verùm hic distinguendum inter causam instrumentalem & efficientem. &c. Walth.

3. Illustratio, ab utilitate cognitionis huius, quæ est præsertim de errore Manichæorum & Antinomorum. &c. Celich.

2. Tempus & significatio eius. Promulgavit autem Deus legem suam anno mundi 2453. & quidem 50. Die post educationem populi Israelitici ex Aegypto. &c. Celich. Menc.

3. } Vide liter. C.

4. }

3. Vide liter. D. 4. & 5. Vide liter. E.